7

IO. ZACH. PLATNERI
D. ET PROF. MED. LIPS

INSTITVTIONES CHIRVRGIAE RATIONALIS

TVM MEDICAE TVM MANVALIS

IN VSVS DISCENTIVM

EDITIO NOVISSIMA

RECENSVIT NOTASQVE ADIECIT

CAROLVS CHRISTIANVS KRAVSE

MED. DOCT. ET PROF. LIPSIENSIS

LIPSIAE
IMPENSIS
SVMTIBVS CASPARI FRITSCH
MDCCLXXXIII.

PRAEFATIO
EDITORIS

Non heri aut nudius tertius eſt, ex quo CASPARVS FRITSCHIVS, Bibliopola apud nos non minus honeſtus quam nobilis et elegans, abs me vehementer etiam atque etiam petiit, vellem inſtitutionum chirurgiae ab IOH. ZACHAR. PLATNERO olim conſcriptarum, tertium quondam edendarum curam in me ſuſcipere, eamque ita agere, vt, quae poſt tempora editionis prioris aut inuenta aut in melius mutata ſint, in arte chirurgica, niſi omnia, praecipua ſaltem, adiungerentur. Ego vero, tanti laboris difficultates perſpiciens, deſiderio illi, quantumuis aequo et honeſto, ſatisfacere diu multumque dubitaui. Etenim haec pars artis ſalutaris, et profectu efficacior et factu difficilior, aetate noſtra habuit incrementa tanta, quanta maxima. Quae, per innumerabiles libros ſparſa, ſi quis velit colligere, et in vnum quaſi corpus doctrinae ita coadunare, vt nihil omiſſum, nihil ſuperuacuum aut falſum adſperſum eſſe videatur, is profe-

cto onus humeris imponi ſuis patitur graue admodum. Haec quidem difficultas eſt communis omnibus, qui in hoc ſcriptionis genere vires periclitari ſuas velint. Singularis vero et propria obiecta eſt ei, qui PLATNERI librum animaduerſionibus augere ſecum animo conſtituit. Niſi enim puritatem ac perſpicuitatem latini ſermonis, a qua liber hic partem non minimam commendationis laudisque habet, propius aſſequi ſtudeat, laborem ſuum prae populari elegantia et cultu ſermonis PLATNERI contemtum iri, certo praeſcire poteſt. Haec mecum animo reputans, et modulo me metiens meo, ſollicitationibus laudati FRITSCHII diu reſtiti et vſque, donec Ille, niſi ego manus admouere operi vellem, librum eum alii nemini concrediturum, ſed nullo ornatum augmento in vulgus tertia editione editurum ſe eſſe ſerio aſſeueraret. Ad haec verba mutato conſilio, operam meam libro platneriano commodaturum me eſſe pollicitus ſum, non quod ego tantum, quantum FRITSCHIVS, mihi tribuerem, ſed quoniam intelligebam, librum non ſolum modo a noſtratibus et Germaniae medicis, verum ab exteris quoque hactenus lectum laudatumque, ex ma-

nibus

nibus tironum breui poſt excuſſum iri, niſi a nouitate commendatio quaedam et gratia noua ipſi acceſſerit. Eum autem loco aliquo, haud vulgari aut infimo, ab exteris habitum eſſe, ne fruſtra dixiſſe videar, commemoranda eſt tum editio eius ſplendida illa, quae Venetiis A. MDCCXXXXVII ex typographio IO. BAPTISTAE ALBRITII in forma quarta prodiit, et Auctoris Proluſionem de *chirurgia artis medicae parente* diſſertationemque de *Fiſtula lacrymali* ſubiunctas habet; tum vero verſio belgica A. MDCCLXIV Amſtelodami voluminibus in forma octaua duobus edita et inſcripta: *Handleiding tot de chirurgie of Heelkonſt* etc. *van den Heer* I. Z. PLATNER, *met veele nieuwe Anmerkingen verrykt door* M. HOUTTUYN. Med. Doct. Iteratis Fritſchii precibus meisque ipſius cogitationibus victus atque compulſus cum de modo edendi libri et mecum ipſe et cum illo deliberarem, magnae molis librum neque vſibus diſcentium neque facultatibus plerorumque accommodatum aptumve, neque adeo talem, qualem inſcriptio promittit, fore facile perſpeximus. Breuitati igitur ſtudendum eſſe potiſſimum, attamen ſic, ne fierem obſcurus. Simne

 vtrum-

vtrumque an fortaſſe neutrum aſſecutus, penes lectores aequos et intelligentes iudicium eſto. Si quis ſeuerior iudex, quod et nouum et vtile fuerit, ſubinde deſiderari animaduertat, eum rogo et obſecro, velit tum ſecum animo cogitare, fieri non poſſe, quin in opere longo interdum dormites; tum vero, humanae ſortis et libri inſcriptionis memor, ſperare, fore, vt diſcentes meliora, deſiderata, plura, edoceri a doctoribus queant. Hoc ſi precibus meis dederit, oſcitationibus etiam meis ignoſcet, neque ipſe ad eas oſcitabit, multo minus ſtomachabitur. Ne vero, ſi quando ego librum PLATNERI temeraui, error in eum refundatur, animaduerſiones, quae figuras has †, † † etc. praefixas habent, a me eſſe profectas, ignorari nolo. Scripſi Lipſiae in mercatu vernali A. MDCCLXXXIII.

PRAEFATIO
I. Z. PLATNERI

In ea opinione me ſemper fuiſſe, profiteor, neminem ne illis quidem morbis, qui interiores corporis partes infeſtant, et quorum curatio a ſolis medicis requiritur, ſcienter ac perite mederi poſſe, niſi ea vitiorum genera, quae chirurgi ſibi vindicant, habeat perſpecta et pertractata. Quae enim in variis corporis ſedibus extrinſecus incidunt, et quae oculis cernuntur, attrectatu ſentiuntur, eadem fiunt in partium internarum viſcerumque valetudinibus; non tam ſenſu in ſingulis morborum generibus, quam coniectura, ex collatis pluribus indiciis percipienda. Iſtorum autem morborum, quibus internae partes afficiuntur, natura, mutatio, euentus, omnisque curatio, quae vel artis beneficio fieri ſolet, vix aliter in notitiam venire poteſt, quam diligenti obſeruatione vitiorum, quae chirurgiae auxilia deſiderant, et omnium rerum, quae in horum decurſu, atque varia curatione, incidere conſueuerunt. Hoc vel ſeuerioribus diſceptatoribus ex facili poſſet probari, ſi iam conſiderationem in inflammationem intendere et demonſtrare vellem, illam, ſi in externis ſedibus orta fuerit, febrem mouere, qua, vel diſcutiatur, vel ſuppuratione finiatur, eamque, ſi male cedat, in gangraenam, ſcirrhum, vlcus, fiſtulam, carcinoma, degenerare. Morbi enim interiorum partium, qui ex iisdem conuerſionibus naſcuntur, nomine

ac ſede magis, quam natura ſua, ab his, quae extrinſecus fiunt, differunt. Quapropter omni tempore artem ſalutarem diſcentibus magnopere autor fui, vt hanc vetuſtiſſimam eius partem, chirurgiam, cuius caeteroquin profectus euidentiſſimus eſt, diligenter excolerent, atque per eius notitiam ad recte medendi peritiam contenderent. Etiam inter caeteras artis diſciplinas illam ſaepius diſcentibus, tum medicinae cultoribus, tum aliis, in hac vrbe chirurgiae operam dantibus, expoſui, in eaque doctrina ſemper cum aliqua voluptate ſum verſatus. Sed plures fortaſſe exiſtimabunt, mancam fuiſſe hanc doctrinam, propterea, quod in hac vrbe ſatis idonea facultas experimentorum huius efficacioris, quae manu ſit, medicinae faciendorum in valetudinariis non detur: in omni autem diſciplina, quae non ſola ratione atque intelligentia contineatur, ſed vſu diſcatur, perficiaturque, vel maxime neceſſaria videantur experimenta. Per haec enim illam medendi rationem in valetudinariis diſci poſſe, quae, cum aegrotantibus vario morbo conflictantibus affluentiſſima ſint, magiſtros plerumque habeant peritiores, et qui multo vſu atque fere quotidiana exercitatione maiorem in ſecando dexteritatem ſint conſecuti, vt horum non ſolum inſtitutione, ſed etiam exemplo, proficere poſſint tirones. At enim vero, quanquam, ſi verum ſine ambitione fatendum eſt, inficiari non poſſum, haec efficacioris medicinae experimenta apud nos non ita frequentia eſſe, haud tamen crediderim, ob id omnem harum rerum doctrinam ſuper-

ſuperuacaneam eſſe, et inutilem. Nam altera illa chirurgiae pars, quam medicam vocamus, et quae, impoſitis medicamentis, plurimum praeſtat, quae etiam ad vulnera, a chirurgo facta, omnem victus et medicamentorum intus dandorum rationem dirigit, optime docetur ab iis, qui non ſolam anatomen norunt, ſed, qui omnia, quae ad hominis, tum recte valentis, tum aduerſa valetudine oppreſſi, naturam attinent, habent perſpecta, nec medicamentorum, tum ſimplicium, tum varia arte compoſitorum, facultates ignorant. Quam neceſſaria ſit haec chirurgiae pars, illis obſcurum non eſt, qui interdum aegros viderunt ſcalpello dextre et feliciter curatos, ſed poſtea, vbi inflammatio concitata fuerat, ſanguinis miſſione, vel neglecta, vel immoderatius facta, aut alienis a morbo medicamentis, aut cibo pleniori, potioneque valentiori, ad mortem praecipitatos. Nihil commemoro de varii generis tumoribus, qui nec ſcalpellum, manumque, ſed medicamenta, poſtulant, quibus id, quod intumeſcit, vel reprimendum, vel diſcutiendum, vel, ſi ad ſuppurationem ſpectat, digerendum, emolliendumque, eſt. Nam, ſi haec medicamenta, non diuerſis illorum generibus, et variis etiam, quae in his curationibus ſunt, temporibus, accommodantur, illa omnia exaſperare, et ſaepe immedicabile malum afferre poſſunt, cum et alii tumores ſint, qui, quod in ſe ipſis aliquid corrupti habent, veluti cancer, omnibus auxiliis, tum ſcalpello, tum medicamentis, irritantur. Quid? quod inter illas curationes, quae manu ferramen-

tisque fiunt, magnum diſcrimen eſt. Sunt quaedam, quae, cum in iis multa genera atque tempora periculi ſint, non, niſi vſu atque longa exercitatione perdiſcuntur, inter quas fere prima eſt, qua calculus ex veſica, ſi huic innatus eſt, educitur. Inter caeteras autem plures ſunt, quae a quouis, cui partium, quibus ſuccurrendum eſt, natura, et reliqua, aliunde cognita ſunt, etiam nullo praeeunte magiſtro, ad aegrotantes poſſunt adhiberi. Et nemo ignorat, etiam inter Pariſienſes chirurgos, qui, prae aliis omnibus, docti et rerum ſuarum experti ſunt, admodum paucos eſſe, qui, inciſa veſica, calculum protrahere audeant. Nec ad illas arduas curandi vias, operationes vocant, aditus fieri poteſt ſola imitatione magiſtri atque exercitatione, ſed etiam vel maxime neceſſaria eſt notitia ipſius noxae, cui mederi volumus, et cauſarum, tum euidentium, tum abditarum, nec non omnium, quae incidere poſſunt. Parum ſaepe proficiunt tirones, qui hanc medicinae partem a magiſtris accipiunt, qui, vſu tantum edocti, aliquando intra paucas horas omnem chirurgiae doctrinam exequuntur. Plurimum autem ab his illi diſcere poterunt, ſi, dum eos accedunt, animum accuratiori omnium illarum rerum notitia habeant praeparatum atque praecultum. Nihilominus tamen mihi, omnibusque, qui artem ſalutarem, in hac Academia, vel profitentur, vel diſcunt, in votis eſt, vt olim chirurgiae maior honos habeatur, et occaſio naſcatur, qua illa etiam apud nos in valetudinario per experimenta poſſit addiſci. Sed vero, cur has Inſtitutiones

iones ſcripſerim, easque in lucem ediderim, iam paucis, Lector beneuole, accipies. Chirurgiam docenti defuit libellus, qui vtramque chirurgiam, tum medicam, tum manualem, dilucide et in compendio exponeret. Vt igitur diſcentes dictorum memoriam breui repetitione reficere poſſent, has theſes conſcripſi, quae poſtmodum ab his multoties transſcriptae, et ob id etiam mendoſiores factae, fuerunt. Has vero ita diſpoſui, vt, ab inflammatione, quam cum plurimis noxis, et cum vulneribus etiam, quae a chirurgo fiunt, eſſe oportet, orſus, hac quaſi manu ducente ad eius ſupra commemoratos effectus et ea, quae hos conſequuntur, fuerim progreſſus, [illegible]ui deinceps vulnerum, tumorum, vlcerum, [illegible]n, varia genera, oſſium etiam morbos, executus ſum, et alia quaedam vitia addidi, quae ſingularem, quae manu fit, curationem poſtulant. Reliquorum enim morborum expoſitioni mox efficaciorem medendi rationem ſubiunxi, id quod vel ideo magis opportunum viſum fuit, quod, ſi illae curationes, vel ſic dictae operationes, ſeorſim traduntur, ſaepe neceſſe eſt, tironum animos ad memoriam iam alibi explicati morbi reuocare. Et nemo ignorat, doctrinae varietatem diſcentium animos quaſi reficere, atque ad maiorem attentionem cogitationemque excitare. Commemoraui etiam optimos autores, praecipue eos, qui de morbis quibusdam, et variis eas curandi viis, ſingulari ſtudio commentati ſunt. Hoc autem velim omnes tenere, et ſcire, me ſcripſiſſe tironibus, non excellentibus in arte Profeſſoribus

bus

bus, nec peritis atque exercitatis Magiſtris, quibus in hoc libello plura leuiora, et vix commemoratione digna, videbuntur, quae tamen, diſcentium in gratiam, vel ex anatome, vel ex aliis diſciplinis, repetenda fuerunt. Hoc vel ex iis intelligi poterit, quae ſub finem de partu naturali propoſita leguntur. Prima enim laus doctoris, qui rudes et omnium rerum ignaros bonas artes diſciplinasque docet, mihi ſemper viſa fuit perſpicuitas, et adhibita diligentia, ne ea, quae leuia et minora videri poſſint, omittantur. Cum vero iam ante plures annos hunc laborem his theſibus conſcribendis impendiſſem, et harum Inſtitutionum quaſi primas lineas duxiſſem, [illegible] plures me hortati ſunt, vt illas in publi[illegible]erem. Obtulit ſe etiam Nobiliſſimus Vir, [illegible]que, dum viueret, amiciſſimus, CASPARVS FRITSCHIVS, qui neceſſarios ſumtus, ſe ſuppeditaturum promiſit. Igitur ſtatim ab illo tempore quaedam plagulae typis exſcribi coeperunt. Sed, cum, et aegrotantium curationes, et alia negotia, nimis me occupatum habent, interdum etiam aduerſa valetudo incidit, plurimum ſaepe menſium mora eſt illata. Tandem, cum laudatiſſimus Fritſchius ante aliquot menſes diem ſupremum obiiſſet, haeredes me de perficiendo hoc libello vrgere non deſtiterunt, quae poſtulatio tam aequa et honeſta mihi viſa eſt, vt illi reſiſtere haud potuerim. Sed vero eo ipſo tempore in miſerum diuturnumque morbum incideram, quo per plures menſes adeo intabui, vt mihi, ad omnem rem omneque ſtudium minus idoneo, magis

gis de vitae, quam de huius libelli, exitu atque fine fuerit cogitandum. Cum vero tamen promiſſa exigerentur, iisque ſatisfacere cuperem, petii a Viro Excellentiſſimo et omni eleganti doctrina perpolito, IVSTO GODOFREDO GVNTZIO, in Academia noſtra Anatomiae et Chirurgiae Profeſſore Extraordinario, vt ſummam manum opuſculo imponeret, idque ſibi, ſi parente ſuo orbaretur, adoptaret, id quod ab eo, qui ſemper mei amantiſſimus fuit, et me ſingulari beneuolentia proſecutus eſt, facile impetraui. Huic debes, Lector, ea, quae ad varias calculoſos curandi vias, et ad omnem huius curationis hiſtoriam, quam longam accuratamque praemiſit, attinent. Haec, magno labore ex optimis autoribus compoſita, quam pulchra ſint, ipſe legendo deprehendere poteris. Interea, cum meae valetudinis grauitas ſe paululum remitteret, et ego me aliquantum alleuatum ſentirem, ipſe iterum hunc laborem ſuſcepi, et pauca, quae poſt calculoſorum curationem ſequuntur, inter corporis aegritudines debilitatesque perfeci. Dum vero iam hoc opuſculum in publicum emittitur, id abs Te petitum impetratumque volo, vt omnia, et ea etiam, quae emendatione quadam egent, aequi et boni conſulas. Multa enim corrigere poſſem, ſi, quae ante aliquot annos typis expreſſa fuerunt, iam ſcribenda eſſent, id quod vel ex diſſertatione, quam, ſi Deus vitam dederit, propediem de Hydrocele proponam, clarum erit. Sunt etiam, in quibus per errorem lapſum eſt, cuius rei exemplum legitur in §. 831. cum quo §. 848. conferri

poteſt.

poteſt. Animus erat, quasdam correctiones, emendationesque, ſub finem libelli addere, et alia quoque adiicere, quae ab illo tempore, quo hae theſes litteris mandatae ſunt, a praeſtantiſſimis autoribus fuerunt prodita, ſed, tum a feſtinanté propter nundinas typographo, tum a graui tenacique morbo, qui, dum hoc ſcribo, recrudeſcere videtur, prohibeor. De adiectis tabulis, et ferramentorum, aliarumque rerum, quae ad chirurgi officinam pertinent, iconibus, illud moneo, eas in Cel. HEISTERI et GARENGEOTI libris deſiderari. Longe plura ſunt ferramenta, a recentioribus reperta, quae addi potuiſſent, ſed cura habenda fuit, vt a diſcentibus minore ſumtu libellus parari poſſit; quorum vtilitatibus ſi ille inſeruire poterit, ego magnum laboris mei fructum tuliſſe mihi videbor. D. Lipſiae d. XXIII. Maii MDCCXXXXV.

---

§. 1443.

Femina reſupina, eo modo, quo in partu difficili figuratur, ſuper lectum ita collocatur, vt verenda in conſpectu ſint. Membrana, ſi adeſt, ſcalpello inciditur, et exitus datur ſanguini, aliique humori, qui retentus fuerat. Si vero per cicatricem orae inter ſe iunctae ſunt, ſuſpenſa manu illae incidi, et inter ſe diduci, debent, diligentia adhibita, ne vrinae iter violetur. Aperto igitur pudendo, demittenda eſt turunda maior, pleniorque, etiam aliquo medicamento, ad ſanguinem ſiſtendum, vel cicatricem inducendam, idoneo reſperſa, vel madefacta. Sunt, qui ad id vtuntur ampliori fiſtula, ex ebore facta, et crebrioribus maioribuſque foraminibus pertuſa, vt effluere poſſit omnis humor. Turunda, vel fiſtula, non prius recipi debet, quam, donec, perſanatis omnibus, cicatrix ſit.

VTERI PROCIDENTIA.

§. 1444.

Et ipſe vterus, et illa pudendi pars, quam vaginam appellant, procidere ſolet *. Vterus, aperto poſt partum ore interno, quandoque inuerſus procidit, maxime, ſi valenter inhaereſcunt ſecundae, et vmbilicus multum trahitur, vel, ſi obſtetrix manu non ſecundas, ſed vterum, prehendit, et adducit. Raro ſic vterus per dolores, qui vehementer poſt partum feminam excruciare ſolent, ita deuoluitur. Hoc vitii genus cognoſcitur ex ipſo tumoris habitu, et ſi is globoſus propendet **. In huius mali curatione properandum, et protinus vterus manu recondendus, eſt. Femina quietem ſeruare, et non aliter cubare, debet, quam extentis cruribus, et compreſſis in vnum, etiam faſcia deligatis, feminibus. Vbi deuolutus vterus non protinus repoſitus fuit, iſque contrahente ſe ore inter-

no, premitur, ſaepe feminae cita, et fere inopina, morte rapiuntur, vel iis magna inflammatio atque gangraena naſcitur.

* Magna controuerſia aliquando fuit, num ipſe vterus procidere poſſit. Vid. DAV. VAN DER BECKE *de Procidentia vteri*

** Vid. Obſ. et figuram in RVYSCHII *Obſ. Anat. Chirurg. Obſ. X. p.* 16. *fig.* 12.

† Vid. *Ontleed en Heelkundige Verhandeling over de Uitzakkingen en Uitwaſſen der Lyfmoeder en Schede etc. Te Utrecht* 1767. 8uo. Item LEVRETTI Diſſert. in *Journal de Médecine*, par ROUX Tom. XI.

§. 1445.

Totus autem vterus cum ore interno deſcendit et ex naturalibus partibus prolabitur, ſi eius ſic dicta ligamenta, quibus vterus in ſede ſua continetur, cum caeteris partibus relaxata ſunt *, vel, ſi vterus ipſe ſcirrho ſimilis, induratus eſt, et tumidus, atque ſic pon deroſior, delabitur **. Nec hoc malum ſemper tolli poteſt, vbi enim vetuſtas acceſſit, parum ſpei ſupereſt et vbi in vtero ſcirrhus, vel carcinoma, eſt, omnia cu rationibus irritantur. Si relaxata ſunt ligamenta, viti um recenti re tolli poteſt. Reſupina collocanda eſ mulier, et id, quod deuolutum eſt, ſuſpenſa manu re condendum. Admoueri poſſunt fomenta ex repri mentibus, etiam ſuffimenta. Haec vero medicamenta ſi iis nimis valenter retenta fuerit materia, nocer poſſunt, quare praeſtat, peſſis vti, quae naturalibus con dita, vterum, ne rurſus delabi poſſit, prohibent. Fiun autem ex ſubere, et cera obducuntur. Vt menſtrui aliiſque humidis, in pudenda confluentibus exitus de tur, peſſos perforatos eſſe, conuenit, qui etiam magni tudini naturalium aptari debent ***. Prae ceteri omnibus quies neceſſaria eſt, et vt femina reſupina cu bet. Interdum, ſi vitium recens fuit, et femina iunio eſt, his peſſis per tempus admotis, vterus in ſeden

ſuam

ſuam reuertit, et in ea manet. Aliis autem peſſi auxilium per omnem vitam neceſſarium eſt.

* Vid. RVYSCH *c. l. Obſ. IX. fig.* 11.

** *c. l. Obſ. VII. fig.* 8. et H. VAN SANDEN *Diſſert. de Prolapſu vteri, Regiom. MDCCXII.*

*** Peſſos delineatos vide in HEISTERI *Inſtit. Tab. XXXIV.* Alius modus deſcribitur a THOMA SIMEON *in the Medical Eſſays Vol. III. Obſ. XVIII. pag.* 311.

† De Peſſis vid. apud WILLIAM SMELLIE Tab. XXXVII. LEVRETTI animaduerſiones de peſſis ſeu *Remarques ſur les peſſaires in Journal de Médec.* Tom. XXXIV. et Tom. XXXVI. nec non *Edinb. Eſſay.* Tom. III. praecipue *Verhandelingen van de Hollandſche Maatſchappye etc. te Harlem* Deel. V. In eiuſdem ſocietatis commentariis, et Tom. quidem XIXmo (Deel XIX.) laudatur ſpongia marina, quae commodiſſime ſedet, ac praeterea medicamentoſos humores ex facili hauriens, partibus relaxatis robur quoddam reddere poteſt. De remedio hoc vid. quoque *Sammlung auserleſener Abhandlungen für praktiſche Aerzte, Siebender Band.*

§. 1446.

Frequentiſſimum vero inter haec vitium eſt, ſi pudendi, vel ſic dictae vaginae, tunica relaxata procidit, cuius rei varius modus atque varia figura eſt. Interdum ora circum circa reſoluta deuoluitur, et, botuli quaſi in modum, ex verendis dependet. Nonnunquam in vno latere id, quod relaxatum eſt, in tumorem excreſcit ingentem, et qui verum atque ingens ſarcoma repraeſentat. Id, quod deſcendit, non raro inflammationem accipit, quandoque etiam illud, quoniam veſtimentis affricatur, exaſperatur, induraturque. Malum plerumque naſcitur, ſi a frequenti laborioſoque partu, vel a nimio humorum profluuio, etiam ab admotis extrinſecus emollientibus, tunicae relaxatae ſunt.

§. 1447.

Vitio, ſi recens eſt, mederi poteſt Chirurgus, ſi id, quod deuolutum eſt, recondit, et fomenta et ſuffitus, quibus reprimendi facultas eſt, admouet. Opor-

tet vero, feminam quietem ſeruare, et ſupinam, compreſſis adſtrictiſque femoribus, iacere. Id, quod ſupra de medicamentis, quae menſtrua ſupprimere poſſunt, dictum fuit, etiam hic ſedulo tenendum eſt, quare confert, illo tempore, quo prouenire ſolent, ab omni medicamentorum genere abſtinere. Si inflammatio ſe oſtendit, fomenta adhibenda ſunt, aduerſus eam idonea. Vbi autem in illis pudendi tunicis magna imbecillitas eſt, perfecta curatio ſperari nequit, quare, admota faſcia id, quod deſcendit, inuoluendum eſt, ne iniuriis externis exaſperetur. Si autem hoc in magnum tumorem excreuit, et hic ad radicem tenuior eſt, ſcalpello praecidi, vel, id quod magis tutum eſt, vinciendo tolli poteſt*.

* Vide figuram in MECKEREN *Obſeru. Cap.* 54. Ante plures annos magnus eiuſmodi tumor, ex naturalibus propendens, ligatura prius iniecta, poſt, ſcalpello etiam adhibito, ablatus fuit, et mulier conualuit.

F I N I S.

APPEN-

APPENDIX
NONNVLLORVM
MEDICAMENTORVM
COMPOSITORVM
HINC ET INDE
CITATORVM.

I. Pulueres.

(§. 163.)

Rec. Farinae volatil.
Fabarum ana Vnc. j.
Cort. medii Sambuci
Fl. Sambuci ana Vnc. Sem.
Camphorae cum ſacchar. contritae Drachm. ij.
M. F. Pulu. D. S. Puluis reſoluens externe vſurp.

(§. 164.)

Rec. Farinae volatil. Vnc. vj.
Plumbi vſti
Bol. rubr. ana Vnc. ij.
Maſtich. elect.
Oliban.
Ceruſſae ana Vnc. j.
M. F. Pulu. D. S. Pulu. Mynſichti ad eryſipelas.

(§. 240.)

Rec. Ol. Cinamom.
Cort. Citri ana gtt. ij.
Caryophyll. gtt. j.
Sacchar. Canar. Drachm. ij.
M. F. Elaeoſacch. admiſce
Laudani opiat. gr. ij.
M. D. S. hora vna ante operationem ſumend.

(§. 739.)

Rec. Rad. Scillae rec. Libr. Sem.
Pulu. Rad. Vincetox. Vnc. ij.
Cont. in pulpam, quae, in vmbra ſiccata,
pulueriſ.

Rec. huius Puluer. Scrup. Sem.
Rad. Ari
Pimpinell. alb.
Nitr. dep. ana gr. v.
M. F. Pulu. pro vna doſi.

II. Electuarium.

(§. 205. 390. 394. 417.)

Rec. Pulu. Cort. Peruu. opt. Vnc. Sem.
Confect. Alkermes Vnc. j.
M. diu. in 8. part. S. omni quadrihorio partem vnam ſumend.

III. Boli.

(§. 505.)

Rec. Turpeth. mineral. gr. xij.
Lap. Contrayeru. Drachm. j.
Theriac. Andromach. q. ſ.
M. F. Boli No. III. D. S. quotidie ante cubitum vnum.

IV. Emulſio.

(§. 124. 130.)

Rec. Sem. Papau. alb.
Card. Mariae.
Amygdal. dulc. excort. ana Drachm. ij.
Aq. Fragar. Vnc. iv.
Ceraſ. nigr. Vnc. ij.
M. F. Emulſio, adde
Balſ. Peruu. Vitel. Oui ſol. gtt. x-xv.
Syr. Althaeae Fernel. Drachm. iij.
M. D. S. omni bihorio cochl. j. ſumend.

V. Linctus.

(§. 137.)

Rec. Mucil. Sem. Cydonior. Vnc. ij.
Mell. roſat.
Rob. Diamor. ana Vnc. Sem.
Nitr. dep. Drachm. Sem.
M. D. S. interne ad collum.

(§. 914. 915.)

Rec. Aq. Theriacal. Vnc. j.
Tinct. Myrrh.
Eſſ: Succin. ana Drachm. Sem.
Mell: roſat.
Syr. Violar. ana Vnc. Sem.
M. D. S. vt ſupra.

VI. Infuſa vinoſa.

(§. 739.)

Rec. Rad. Ari,
Scillae,
Bryoniae ana Vnc. j.
Herb. Trifol. fibrin.
Centaur. min. ana Mp. j.
Bacc. Lauri,
Cort. Winteran. ana Drachm. iij.
Fol. Senae ſ. ſt. Vnc. Sem.
Rhabarb. opt. Vnc. j.
Agarici in petia ligat. Drachm. ij.
Sal. tart. Vnc. j.
Conc. Cont. M. F. Species. D. in Sindone.

Ad has ſpecies affunditur in vaſe bene obturato Menſ. Sem. aquae feruentis, et poſtquam per aliquot horas loco calido ſtetit, iterumque refriguit, affunditur adhuc Menſ. j. vini rhenani optimi, et in cella aſſeruatur. Quotidie de eo mane Vnc. ij. ſ. iij. bibuntur.

(§. 267. 739.)

Rec. Sal. ſtipit. Fabar. Vnc. iij.
affunde Aq. fontan.
Vini Rhenan. merac. ana Libr. j.
ſtent per noctem; bulliant hora matutina, D. S.
Quotidie Vnc. j. ad ij. bis ſumend.

VII. Apozema laxans.

(§. 63. 114. 191. 213. 269. 305. 496. 857. 901. 1024. 1313.)

Rec. Pulp. Tamarind. Vnc. Sem.
Crem. Tartari Drachm. j.
Fol. Senae ſ. ſt. Scrup. ij.
M. Coq. in ſ. qu. Aq. fontan.
Rec. Colatur. et in ea leni calore ſolue
Mannae Calabr. rec. Vnc. j.
Dep. add. cum pauco Sacchar.
Ol. Syrae gtt. ij.
D. S. Potio laxans pro vna doſi.

Aut:

Rec. Rhabarb. opt. Drachm. ij.
Crem. Tartari Drachm. iß.
Paſſul. minor. Vnc. Sem.
M. Conc. Coq. in ſ. q. Aq. fontan.
Rec. Colatur. et in ea leni calore ſolue
Mannae Calabr. rec. Drachm. vj.
Dep. add. cum pauco Sacchar.
Ol. deſt. Aniſi gt. j.
D. S. vt ſupra.

VIII. Ptiſana.

(§. 64. 162. 191. 213. 269. 303. 400.)

Rec. Decoct. Hordei Libr. ij.

Oxym.

Oxym. ſimpl. Vnc. iij.
Syr. Acetoſ. Citri Vnc. iij.
M. D. S. de ea iteratis vicibus cochl. j. bibere poteſt.

Aut:

Rec. Tamarind. Vnc. ij.
Hordei mund.
Rad. Scorzoner. ana. Vnc. j.
Herb. Acetoſ. Mp. iv.
Conc. M. Coq. in Aq. fontan. Menſ. IV.
per quadrant. horae.
Rec. Colatur.
adde Rob. Ribeſ. Vnc. ij.
Nitri dep. Drach. iij.
Sol. M. D. S. vt ſupra.

IX. Decoctum Ligni ſancti.

(§. 1055.)

Rec. Raſ. Ligni ſancti ponder. virid. Vnc. x.
Sal. Tartari Drachm. Sem.
Digere cum Aq. fontan. Libr. iv. per XXIV. horas coq. per duas horas, ſub finem adde Spiritus Vini rectificatiſſ. Vnc. iv.
Colat. D. S. quatuor de die Vnc. iv. bibend.

Aut:

Rec. Raſur. Ligni ſanct. pond. Vnc. vj.
Sal. Tartari Drachm. j.
M. Coq. per horam in vaſe clauſo cum
Aq. fontan. Menſ. IV.
poſt horam adde
Rad. Polypod. Vnc. ß.
Cort. Ligni Saſſafr. Vnc. j.
Coq. adhuc per dimid. horae, Colat.
D. S. vt ſupra.

X. Gar-

X. Gargariſmata.

(§. 135.)

Rec. Rad. Althaeae.
Biſtortae ana Vnc. j.
Herb. Saluiae
Prunel. ana Mp. ij.
Fl. Sambuc.
Roſar. ana Pug. ij.
Conc. M. Coq. in ſ. q. Aq. fontan.
Rec. Colat. Libr. j.
adde Rob. Dianuc. Vnc. Sem.
Nitri dep. Drachm. iß.
Sol. D. S. Gargariſma

(§. 136.)

Rec. Rad. Althaeae Vnc. ij.
[illegible] Parietar.
[illegible] Mercurial. ana Mp. j.
Fl. Maluae
Papav. errat. ana Pug. iij.
Sem. Foenu graec. Vnc. j.
Conc. Cont. M. Coq. in Aq. fontan. Menſ. iij. per quadrant. horae.
Rec. Colatur. Libr. ij.
adde Syr. Capillor. Vener. Monſp.
Althaeae Fernel. ana Vnc. iß.
M. D. S. Gargariſma emolliens.

Aut:

Rec. Herb. Parietar.
Violar. ana Mp. ij.
Fl. Verbaſci Pug. iij.
Caricar. pingu. No. VIII.
Conc. M. Coq. in ſ. q. Aq. fontan. per quadrant. horae

Rec

Rec. Colatur. Libr. ij.
adde Mel. roſat.
Rob Diamor. ana Vnc. j.
Nitri dep. Drachm. ij.
Spirit. Sulphur. gtt. xv.
M. D. S. vt ſupra.

IX. Clyſteres.

(§. 63. 167. 305. 659. 682. 811. 840. 1016. 1023. 1024. 1313.)

Rec. Spec. Emollient. Vnc. j.
Sem. Carui Vnc. Sem.
M. Coq. in ſ. q. Seri lactis vel lactis ebutyrati.
Rec. Colatur. Libr. j.
adde Mel. deſpum. Vnc. iß.
Ol. Lilior. alb. Vnc. Sem.
Nitri dep. Drach. iß.
M. F. Clyſter. App.

(§. 505.)

Rec. Aq. Selteran. Vnc. viij.
Nitri dep. Drachm. iß.
Mel. roſat. Vnc. j.
M. F. Clyſter. Appl.

Aut:

Rec. Decoct. Hordei Vnc. viij.
Nitri dep. Drachm. ij.
Aceti com.
Syr. Roſar. pallid. ana Vnc. j.
M. F. Clyſter. Appl.

(§. 659. 811. 1313.)

Rec. Sapon. Venet. Drach. vj.
Coq. in ſ. q. Seri lactis.
Rec. Colat. Vnc. x.
adde Mellis Vnc. Sem.
M. F. Clyſter. Appl. (§. 811.)

(§. 811.)

Rec. Rad. Althaeae Vnc. j.
Fl. Chamomill. Mp. ij.
Fol. Peti Drachm. iß.
Conc. M. Coq. in ſ. q. Aq. fontan.
Rec. Colatur. Libr. j.
adde Elect. Hierae picrae
Mel. anthoſ. ana Vnc. Sem.
Sal. com. Drachm. j.
Sol. M. F. Clyſter. Appl.

XII. Iniectio.

(§. 906.)

Rec. Cort. Ligni ſancti ſubtiliſ. pulueriſ. Vnc. iv.
Rad. Ariſtoloch. long. Drachm. ij
Herb. Agrim.
Abſinth. ana Miß.
Myrrhae Vnc. j.
Mellis Vnc. iij.
M. F. cum Vini rubri Libr. iv. Decoctum
Colat. appl. vel iniiciat.

XIII. Epithemata.

(§. 76. 723. 1115.)

Rec. Rad. Tormentil.
Biſtortae ana Vnc. Sem.
Herb. Rutae
Abſinth.
Fl. Sambuc. ana Mp. j.
Conc. M. Coq. in Vini Gallici rubri libr. iß.
Colat. D.

(§. 79. 521. 723.)

Rec. Herb. Scordii j.
Rutae
Abſinth.
Origan. ana Mp. j.

Conc.

Conc. M. Coq. cum Vini Rhen.
Aq. fontan. ana Libr j.
Colat. add. Aq. Prophylact. Vnc. ij.
M. D.

(§. 193. 195. 723.)

Rec. Herb. Rutae
Abſinth.
Maluae ana Mp. jv.
Alliar. Mp. j.
Farin. Sem. Lini Vnc. j.
M. Coq. in vaſe clauſo cum Acet. et Aq. fontan.
ana q. ſ.
Rec. Colat. Libr. iv.
adde Sal. Ammoniac. Vnc. Sem.
Spir. Matric. Vnc. j.
Sol. M. D.

Aut:

Rec. Aceti deſtil. Vnc. ij.
Aq. Menth. Libr. j.
Sal. Ammoniac. Drachm. ij.
Vini albi Vnc. vj.
M. Sol. D.

(§. 300.)

Rec. Herb. Rutae
Millefol.
Abſinth. ana Mp. Sem.
Malicorii Vnc. Sem.
Sem. Foenicul. Drachm. ij.
Conc. Cont. M. Coq. dimid. horae cum
Vini rubri Gallici Menſ. j.
Col. D.

(§. 743.)

(§. 743.)

Rec. Lithargyr. Vnc. j.
G. Animae
Myrrhae ana Vnc. Sem.
M. Coq. cum Vini rubri Gallici Libr. ij.
Col. D.

XIV. Cataplaſmata.

(§. 91. 104. 146. 192. 202. 810.)

Rec. Rad. Athaeae Vnc. ij.
Herb. Parietar.
Verbaſci
Melilot. ana Mp. j.
Farin. Sem. Lini Vnc. iij.
M. Coq. cum ſ. q. Lactis ad Conſiſt. Catapl.

Aut:

Rec. Rad. Lilior. alb. Vnc. ij.
Herb. Maluae
Melilot. ana Mp. ij.
Abſinth. Mp. j.
Pulu M. Coq. cum ſ. q. Aq. fontan. ad Conſiſt. Catapl. adde
Farin. Sem. Lini.
Foen. graec. ana Vnc. jß.
Ol. Lilior. alb. q. ſ.

(§. 92. 104.)

Rec. Mel. ad ſpiſſitud. coct. Vnc. iij.
Cepar. vſtulat. Vnc. jß.
Gum. Galban. in Acet. ſol.
Sapon. Venet. ana Vnc. j.
M. F. c. ſ. q. Ol. Verbaſc. l. a. Cataplaſma.

Aut:

Aut:

Rec. Caricar. pingu. Vnc. iij.
Cepar. vſtulat. Drachm. iij.
M. Coq. cum pauca Aq. ad Conſiſt. Catapl.
adde Farinae Sem. Lini Vnc. iß.
Ol. Lini Vnc. ij.
M. F. Catapl.

(§. 135. 136. 222. 454.)

Rec. Micae Panis cand. Vnc. vj.
Pulu. Herb. Hyoſcyam.
Melilot. ana Vnc. ij.
M. Coq. in ſ. q. Lact. ad Conſiſt. Catapl.
adde Croci Or. Drachm. Sem.
Ol. Lilior. alb. Vnc. ij.
Vitel. Ouor. No. iij.
M. F. Catapl.

XV. Vnguenta.

Vnguentum de Tutia.

(§. 228. 292. 300. 316. 323. 333. 334. 583. 585. 586. 771.)

Rec. Tutiae a ſordibus repurgatae Vnc. jv.
Igniatur decies et extinguatur Vino alb.
Bene trita et lota conuert. in Pulu. ſubtiliſſ.

Rec. huius Pulu. Drachm. j.
Butyr. Majal. vel Axung. Capon. rec. Drachm. iij.
Gum. Ammon. Scrup. Sem.
M. F. Liniment.

 (§. 292.)

Vnguent. Ophthalm. rubr.

(§. 292.)

Rec. Butyr. Majal. Vnc. iij.
Cerae alb. virgin. Drachm. iij.
Fund. leni igne, adde
Mercur. praecip. rubr. bene triti Drachm. j.
M. exacte D.

Vnguent. digeſt.

(§. 202. 384. 386. 389. 952.)

Rec. Terebinth. Venet. lot. Vnc. ij.
Vitell. Oui No. j.
Croci Or. Scrup. ß.
M. exacte add.
Ol. Hyperic. q. ſ.

Aut:

Rec. Terebinth. Venet. Vnc. j.
Vitel. Oui No. j
exacte M. adde
Mel. Roſat. Vnc. Sem.
M. adde denuo
Aloës
Myrrh. ſubtiliſſ. pulueriſat. ana Drachm. ij.
Sapon. Venet. ſubt. raſi Drachm. j.
M.

Vnguent. neruin.

(§. 445. 1116.)

Rec. Vnguent. Neruin. off. Vnc. j.
Balſam. Peruuian. Drachm. ij.
Ol. deſt. Caryophyl.

Lauen

Lauendul.
Macis ana Drachm. Sem.
M. D.

Balſ. Arcaei.

(§. 147. 387. 396. 522. 704.)

Rec. Terebinth. Venet.
G. Elemi ana Vnc. Sem.
Pingued. caſtrat. Vnc. ij.
Porcin. antiq. Vnc. j.
M. Liquefiant ad ignem F. Liniment.

XVI. Emplaſtra.

Empl. defenſ. vir. Würtzii.

(§. 76. 168. 1115. 1232.)

Rec. Cerae citrin.
Reſin. ana Vnc. viij.
Seui hircin.
Terebinth. ana Vnc. vj.
Pulu. Herb. Alchimill. Vnc. iv.
M. F. l. a. Empl.

(§. 267.)

Rec. G. Galban.
Opoponac.
Ammoniac. ana Vnc. j.
Myrrhae Vnc. Sem.

Camphorae Drachm. j.
Ol. Lilior. alb.
Axung. Anat. ana Drachm. vj.
Cerae q. ſ.
M. F. l. a. Emplaſt.

Empl. de Minio Harris.

(§. 274.)

Rec. Ol. Oliuar. Libr. j.
Chamaem. Vnc. ij.
Vngu. Popul. Vnc. vj.
poſt debitam illorum agitationem cum ſpatula ſuper ignem, adde
Minii Libr. Sem. et denique diſſolue
Cerae alb. in fruſtula confractae Vnc. iv.
Continuetur agitatio, donec reducatur in Maſſam Emplaſtri.

Emplaſt. Diaphor. Mynſ.

(§. 115. 125. 132. 136. 168. 267. 723. 724. 855. 1217.)

Rec. Cerae flau. Vnc. ix.
Colophon.
G. Bdell. ana Vnc. iv.
Ammon. cum Aceto dep. Vnc. ij.
Maſtich. el.
Olibani ana Vnc. Sem.
Sandarac. Vnc. j.
Succin. flau. Vnc. iij.
Terebinth. Venet. Vnc. ij.
Cerae cum Coloph. liquatae et ab igne ſepoſ. ac paululum refriger. Tereb. G. Ammon. colliq. et tandem reliqua pulueriſ. admiſc.

Emplaſt.

Emplaſt. Saponat. Barb.

(§. 146. 723. 855.)

Rec. Ol. Oliuar. Vnc. xx.
Sapon. Venet. Vnc. iij.
Minii.
Ceruſſ. ana Libr. Sem.
M. F. l. a. Emplaſt.

XVII. Collyria.

(§. 291.)

Rec. Aq. Foenicul.
Roſar. ſ. Sal. ana Vnc. ij.
Tutiae praepar. Scrup. j.
Vitriol. calcin gr. viij.
M.

(§. 300.)

Rec. Aq. Roſar.
Plantag. ana Vnc. ij.
Vulnerar. non ſpirituoſ. Drachm. vj.
Tutiae praepar. Scrup. Sem.
M.

(§. 300. 305. 306.)

R. Aq. Foenicul. Vnc. iv.
Lap. Diuini gr. iij.
Croci Metall. gr. v.
Sol. M.

XVIII. Lapis diuinus.

(§. 300. 305. 306. 910. 916.)

Rec. Nitri
Vitrioli
Alumin. ana Libr. Sem.
M. Fluant in Crucibulo, ſub finem adde
Camphorae Drachm. j.
Eff. ſeru. Vſ.

XIX. Liquor Belloſtii.

(§. 201. 214. 1060.)

Rec. Mercur. curr. Vnc. j.
Aq. fortis Vnc. ij.
Sol. in loco calido, deinde adde
Aq. fontan. vel diſtil. Libr. vj.
M.

XX. Aqua Phagedaenica.

(§. 274. 737. 782. 910. 913. 950.)

Rec. Calc. viuae Libr. Sem.
Aq. fontan. feruid. Menſ. ij.
M. agitat. effund. per Inclinat.
Rec. huius Aq. Calc. Libr. j.
Merc. ſublimat. Scrup. Sem. vel gr. xv.
M. l. a.

ADDEN-

ADDENDA.

Quanquam fortaſſe, quae lectoribus rerum chirurgicarum gnaris in hoc libro omiſſa eſſe videantur, tam multa ſint, vt breui ſpicilegio colligi, et paucis chartis deſcribi non prorſus poſſint, nolui tamen committere, vt ſollertia mea in iis quoque deſideraretur, quae vel cognita mihi ac perſpecta addi poterant, niſi feſtinante calamo et vrgentibus operis, ſubinde temeraſſem, vel ſero demum, attamen ſic ſatis tempeſtiue, in notitiam meam venerunt, vt abſoluto operi ſubiungi poſſent. Sunt autem fere haec pauca:

§. 607. Commendanda erat PETITI obſeruatio, qua medicos (vid. *Monum. Acad. R. Scient. Pariſ.*) docuit, infantes teneriores poſſe linguam ſuam ita replicare et quaſi vorare, vt, reſpiratione primo multum impedita, deinde prorſus cohibita, ſuffocati moriantur. Eius periculi notae ſunt, ſi, nulla alia cauſſa data, puer infans difficulter et multo cum labore ſpiritum ducit, facies eius tumet turgetque ac rubet. Cognitae cauſſae remedium in promtu eſt. Linguam ad ſuperiora et poſteriora reflexam ſi chirurgus digito in os dato ad anteriora et inferiora oris retrahit, priſtina libertas reſpirationis protinus infanti redditur.

§. 821. not. lin. 4. pro *iliis* lege *ilibus.*

§. 831. Pro *lineamque albam verſus* legendum *iliaque verſus.*

§. 872. Singularem acum triquetram deſcripſit JOHN ANDREE in *Account of an Elaſtic Trochar for Tapping the Hydrocele* etc. *London* 1781.

Ad cap. de Vlceribus §. 914. mentio facienda erat diſſertationis, quam de vtilitate caloris actualis, in per-

